

1584 religione, cuius semper observantissimus fuerit, proque veteri amicitia, auxilia petere. Senatus consulto responsum: propenso semper animo in Bajoariae Duces Rempublicam extitisse; omnia eorum causa & velle & cupere; quantum vel pro temporum ratione, vel aliis Reipublicae curis permissum fuerit, re ipsa praestaturam.

*Ramadanus
Bassae triremis a
Gabriele Haimo capta.*

*Gabriel
Haimus
in vinculis
Venetias
mittitur.*

*Turcarum
ob Haimi
factum per-
turbatio.*

At vergente autumnus nonnulla contigere, quibus in summum discrimen Venetorum pax cum Amurathe est adducta. Nam cum Gabriel Haimus, damnatorum triremium praefectus, supra Cephalenem in turcicam triremem incidisset, quae e Numidia Ramadanus Bassae uxor una cum filio, varia ac pretiosa suppellectile, multis stipata servis, Byzantium vehabatur; in eam uti in hostilem impetu facto, decertaverat, Turcas interfecerat, praedas egerat. Idque classis legati literis afferebatur; licet Haimus factum, quae imminuere, quae excusare niteretur: pila securitatis signo e tormento ejaculata, cum minime sibi responsum fuisset, piraticam arbitratum, suamet atque duabus aliis, quae secum erant, triremibus, aggressum; postea amicam inspectus, coeptum jam praelium dirimere nequivisse; neque, quin ea, quae subsequuta fuerant, contingerent, efficere potuisse. Triremem itaque viris & suppellectile fere nudatam Corcyram avexit. Eo nuntio vehementer commoti Patres, unius civis temere facto publicam quietem turbatum iri, Senatusconsulto classis legato praecipunt, Corcyram profectus, Haimum in vincula coniectum Venetias mittat; deque his omnibus Joannem Franciscum Maurocenum, ad Amurathem legatum, statim certiore faciant: nihil ob id in Republica pacis studium imminutum testetur; exactius re cognita, de praefecto, quem victum ad urbem perducere iusserant, prout juris esset, Senatum decreturum. Verum antequam ad Maurocenum literae perferrentur, jam Byzantium de oppugnata & capta triremi nuntius pervenerat. Ramadanus dolore atque ira percitus, fremere; illius aedes querelis, gemitibus, ac lachrymis redundare: jamque ad Regem ac Visirum rumor delatus, vehementer eorum animos commoverat. Amurathes irae impatiens exaestuare, cum praesertim multa barbare admodum facta memorarentur: mulieres in pelagus jactatae, mammillae aliis abreptae, femi-